

1556. & 1558. & 1577. consecuta sunt: de quibus postea dicendum aliquid erit. In hac controuersia quisquis ueritatem sine errore cognoscere auet, is primùm quid Cometa sit, scire, deinde quæ eorum sit materia, ex qua fiunt, compertum habere debet. Ex his enim uelut hypothefibus poterit hæc quæstio rectè decidi. Quia uerò de his ipsis tam fusè in superioribus fuit disceptatum, ut omnis de ijs cogitatio ulterior meritò uideri superuacanea possit, ijs positis, ad rem ipsam protinus accedemus.

Cometa igitur nil est aliud, quàm calida et sicca exhalatio, supra eam regionem, in qua nubes congregari, niues, pluuia, tonitrua, fulgura & fulmina nascuntur, elata, & à supremi aeris ac ignis motu accensa. Quæ pro uario situ, uariam quoque figuram recipit, ut modò stellam crinitam, modò barbatam, sæpissimè caudatam referat. Aliquando hastam, gladium, uerum, facem, trabem, dolium representauit. Affinia Cometis sunt alia ignita Meteora, in primis ea, quæ in superiore illa regione aeris fiunt & consistunt. Quippe materiae situs, raritas, densitas, copia, locus in quo accenditur, ferè distinctionem efficit.

Cum iam quæritur, Vtrum Cometa aliquid eorum, quæ paulò antè diximus ab omnibus ferè metui, naturaliter significet, sic respondendum censeo. Si quid Cometæ supradictorū indicant, omninò necessarium est, ut cum eo connexionem eandem habeant, quàm signum habet cū re signata. Quis enim significare aliquid certi possit, si eius rei signum non sit? aut quis signum erit rei certæ, si cum ea coniunctionem aut colligationem nullam habeat? Quod si ergo signa sunt, videndum est qualia nã signa sint. Etenim signorum alia sunt Naturalia, alia Artificialia: nec extra hæc vlla reperiuntur. Quãobrem Cometas oportet statuere signa esse supradictarum rerum uel naturalia uel artificialia. Vtrumque si neges, signa quoque esse itidem negabis. Naturalia signa uoco, quæ sua natura certi aliquid significant. Artificialia nomino, quæ non quidem natura sua, sed ex pacto & cōuento aliquid denotant.